AUTHOR:

ENDLER, J.

TITLE:

QUAESTIONUM CAESARIANARUM SPECIMEN

PLACE:

NORIMBERGAE

DATE:

1859

Master Negative #

91-80344-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Endler, J P
...Quaestionum Caesarianarum specimen. Norimbergae, typis Campeanis, 1859.
20 p. 27 cm.

At head of title: Sollennia anniversaria in Gymnasio regio Norimbergensi... indicit Dr. J. P. Endler...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 11/26/91 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202




Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

SOLLENNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO NORIMBERGENSI

DIE VIII. MENSIS AUGUSTI MDCCCLIX

RITE CELEBRANDA

RECTORIS ET COLLEGARUM NOMINE

INDICIT

DR. J. P. ENDLER

GYMNASII PROFESSOR.

INEST

QUAESTIONUM CAESARIANARUM SPECIMEN.



NORIMBERGAE.

TYPIS CAMPEANIS.

1859.

Cai Iulii Caesaris de bello civili commentarios ad nostram aetatem pervenisse corruptos et depravatos cum alii viri docti professi sint, tum nemo omnium, qui libros illos cognitos habent, de iis pejus existimavit et severius judicavit, quam Madvigius, vir acerrimi ingenii, qui in opusculis suis academicis corruptissimos esse belli civilis libros adeoque depravatos ad nos pervenisse declarat, ut nullum historici Latini, quod quidem exstet, opus tam malam habuerit fortunam. Cui sententiae, quicunque commentarios nostros accuratius legendos tractandosve susceperunt, non possunt non assentiri. Quamquam enim sunt satis multi codices, qui libros illos continent, tamen optimi quique temporum injuria interciderunt atque illi, qui quidem nobis noti sunt, ex uno quasi fonte eoque impuro et inquinato deducti non modo transcribentium inscientia et negligentia, sed etiam emendatorum sive bonorum sive malorum opera aucti, mutilati tamque varie immutati sunt, ut multis locis, quae vera fuerint scriptoris verba, nostrorum codicum ope inveniri nequeat et sola conjectura, quid scripserit ille, quid scribere non potuerit, judicandum sit.

Ante omnes Oudendorpius abhinc annos amplius centum de commentariis his sanandis et ad veram scripturam revocandis praeclare meruit. Qui quum veram codicum rationem ignorans, quae esset inter singulos cognatio, quae cuique fides habenda, quibus prae ceteris credendum, non satis perspectum haberet, etsi multa falsa retinuit, multa vera e codicibus restituenda futuris editoribus reliquit, tamen paene omne seculum posterius in opera ejus acquievit. Nostra demum aetate opus ab illo inchoatum denuo susceptum est a viris doctissimis Elberlingio, Apitzio, Nipperdeio, Terpstra, Forchhammero, Kranero aliisque, qui quanta sagacitate quantoque studio et successu in emendandis commentariis nostris elaboraverint, quum summis criticorum laudibus satis comprobatum sit, mihi hoc loco non opus est demonstrare.

Iam vero quum eorum opera codices denuo collati et inter se comparati, meliores a deterioribus secreti, variae singulorum scripturae a Nipperdeio in editionem suam transscriptae, ab Elberlingio variae lectiones ex codice Hauniensi enotatae atque vulgatae sint, iis quoque, quibus non contigit, ut codices ipsos inspicerent, facultas data est varias lectiones inter se comparandi et, quid in archetypo, quod dicitur, scriptum fuerit, dijudicandi.

Accedit, quod eodem tempore viri docti non minus explicandis interpretandisque commentariis de bello civili operam navabant, quam sanandis et emendandis. Multae enim his proximis triginta annis prodierunt editiones, quae suis quaeque virtutibus commendantur. Ut ceteras omittam, commemorabo duas editiones J. C. Heldii et F. Kraneri, quarum

altera, quae anno 1856 quartum prodiit aucta et emendata, dubito an omnium, quae exstant, maximi sit facienda; altera eodem anno primum vulgata, quamquam et ipsa multis magnisque virtutibus ornata, tamen ab illa textu, qui dicitur, non solum ad fidem Mss. emendato, sed etiam multis locis ad arbitrium mutato satis multum differt. Quantum enim alteri editori deest audaciae, tantum alteri superest; hic nonnunquam lectionem vulgatam retinet parum curans emendationes haud spernendas, ille saepe contra omnium codicum auctoritatem Nipperdeii exemplum secutus verba mutare et eicere et coniecturas dubias in textum recipere non dubitat. Nihilominus autem eorum editiones in optimis habendae sunt, quales omnibus scriptoribus, qui in scholis nostris leguntur, contingere velim.

Quae quum ita sint, si quis credat omnia esse perfecta, omnia vitia emendata et vera scriptoris verba restituta, omnia satis intellecta et illustrata, eum maximo in errore versari, quo quis accuratius, quae adhuc ad explicandum scriptorem nostrum collata sunt, cognita et perspecta habet, eo magis intelligit. Sunt enim multa, quae, sive interpretandi rationem sive scripturae integritatem examinas, hodie quoque emendatricem operam exspectent.

Itaque cum hoc anno meae factae sint partes indicendi anniversaria Gymnasii nostri sollennia, a nostro scriptore, quem explicare discipulis munere meo scholastico jubeor, disputandi materiam petii, ita ut aliquot commentariorum de bello civili locos, quorum vel scriptura dubia videtur vel sententia nondum satis explorata, tractarem, si non ipse omni ex parte illustraturus eos, at doctiorum fortasse, ut in eos feliciorem curam convertant, studia excitaturus.

Lib. I, 1, 3.

L. Lentulus consul senatui reique publicae se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint; sin Caesarem respiciant atque ejus gratiam sequantur, ut superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati obtemperaturum: habere se quoque ad *Caesaris* gratiam atque amicitiam receptum.

Haec verba extrema leguntur in omnibus codicibus et editionibus, nisi quod Paris. sec. pro *receptum* habet *recepturum*, neque quisquam interpretum, quod sciam, ante Kranerum locum nostrum interpolatum esse suspicatus est. Hic primus in editione sua genetivum *Caesaris* uncis circumscripsit, quam loci emendationem haud dubiam a Th. Mommsenio sibi esse suppeditatam fatetur. Negat enim Lentulum potuisse dicere, si senatores Caesarem respicerent atque ejus gratiam sequerentur, se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam se recepturum, quod si in animo habuisset, nihil opus fuisse, nisi ut cum illis ad Caesarem transiret. Immo, illi si Caesaris gratiam sequerentur, se quoque secuturum gratiam atque amicitiam, sed Pompei — non Caesaris.

Ad hanc sententiam, etiamsi codicum consensus non obstaret, equidem persuadere mihi non possum ut accedam. Hortatur consul senatores, ne, ut superioribus fecerint temporibus, Caesarem respiciant ejusque potius gratiam sequantur, quam ut sine ullo hominis respectu solam reipublicae salutem spectent; quod si facit, addere non potest, si illi non obtemperent, se idem esse facturum et ad Pompei gratiam atque amicitiam se recepturum. Praeterea accusativi *gratiam* atque *amicitiam* genetivo adjecto vix posse carere mihi videntur.

Aliam loci emendationem eamque, ut ipse dicit, facillimam et aptissimam affert Hellerus (Philologus XI. pag. 783), qui putat legendum esse sine dubio: *habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam respectum.* „Nam haec referenda sunt ad illa antecedentia: sin Caesarem respiciant atque ejus gratiam sequantur. Et significare putandus est Lentulus — quamquam ne hoc quidem sine simulatione — se quoque, ut illos, Caesarem respicere ejusque et gratiae et amicitiae rationem habere: sed tamen reipublicae se plus tribuere quam illi: ob eamque rem se sibi consilium esse capturum neque eorum auctoritati obtemperaturum, qui unice Caesaris gratiam sequentes rempublicam deserere viderentur.“

Facilis quidem et subtilis emendatio, sed parum apta et a nostro loco alienissima mihi videtur. Ut enim omittam nomen substantivum *respectum* nusquam apud Caesarem legi, Lentulus non sine maxima simulatione dicere potuit, se quoque Caesarem respicere ejusque et gratiae et amicitiae rationem habere, quae dicenti nescio an omnium, qui aderant, nemo fuerit crediturus. Quod autem Helleri emendationem maxime refellit, qui fieri potuit, ut consul, quum id ipsum a senatoribus postularet, ne (non „ne unice“ quod addit Hellerus) Caesarem respicerent, se quoque Caesaris respectum habere diceret?

Ego locum nostrum sanum neque quidquam, si scriptoris verba recte intelligantur, eiciendum mutandumve esse puto. Lentulus hortatur senatores, ut audacter ac fortiter sententias dicant; sin Caesarem respiciant etc., se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati obtemperaturum i. e. per se rempublicam nullius ratione habita, soli civitatis saluti consulentem administraturum. Sequentia verba *habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam receptum* non indicant, quid sit facturus Lentulus, ut vult Kranerus, nam id docent verba *se — obtemperaturum;* sed addidit consul, quid posset facere, si vellet; *(auch er hätte, wie sie, die Möglichkeit, nehmlich wenn er davon Gebrauch machen wollte)* quibus verbis respondet iis, qui forte dixerint, postulare Lentulum, ne senatores Caesaris gratiam sequantur, quod ipsi nulla facultas sit se recipiendi etc. Hoc dicere voluisse Caesarem ipsa verborum collocatio satis docet: *habere* se quoque receptum, quibus verbis opposita sunt illa, quae e contextu facile supplentur: sed uti eo nolle, quod idem ut et ipsi nolint, consul hortatur senatores. Lentulo autem fuisse eam facultatem, etsi nunquam neque usus ea sit, neque uti voluerit, nemo negabit. Inter civiles enim dissensiones facilis est ab altera parte ad alteram transitus, et nobilissimus quisque ac potentissimus ab hoste libentissime excipitur, id quod Labieni aliorumque exempla docent. —

Lib. I, 2, 3.

Timere Caesarem, ereptis ab eo duabus legionibus, ne ad ejus periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur.

Plurimi codices habent *co*rreptis pro *e*reptis vulgari errore, cum praepositio *con* littera *c* superducta lineola notaretur. In solo Leid. sec. legitur *ab*reptis. Eripere autem aliquid ab aliquo pro alicui apud Ciceronem saepius legitur.

Heldius in verbis *timere Caesarem* graecismum quendam inesse putans hunc locum sic expedit: *timere se, ne Caesari ereptis ab eo duabus legionibus ad suum periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompejus videretur.*

Quamquam verum est, Caesarem pronomen substantivum *se* saepe omittere vel iis locis, qui omisso pronomine facile perperam intelligantur, id quod Heldius multis exemplis demonstravit, et alio quoque loco graecismo illo usum esse, (B. g. I, 39, 5 *rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant)* tamen, si illud dicere voluisset, Caesarem sic scripturum fuisse ego non magis quam alii persuadere mihi possum. Heldium ipsum non aliam ob causam Caesaris verba sic interpretatum esse puto, nisi quod non recte dici posse ei videtur: Timet Caesar, ne ad suum periculum reservare et retinere legiones ad urbem Pompeius videatur. Sed quod grammatici de usu illo verbi *videri* aliorumque, ut apud Graecos verbi δοκεῖν, monent, nonnunquam adhiberi per pleonasmum tantummodo, id huc referendum esse puto. Cf. Zumpt §. 751. Ramshorn §. 204, 6, qui multa ejus rei exempla afferunt. Cic. Lael. 4: *Ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum: quo in genere sperare videor, Scipionis et Laelii amicitiam notam posteritati fore.* Pro leg. Manil. 10. *restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur.* Nos quidem his locis verbum *videri* vel omittere, vel alia ratione vertere solemus, ut supra: *Cäsar fürchte, es möchte sich zeigen, sich herausstellen, den Anschein gewinnen.*

Lib. I, 13, 1.

Docent (decuriones Auximi) sui judicii rem non esse; neque se neque reliquos municipes pati posse C. Caesarem imperatorem bene de republica meritum tantis rebus gestis oppido moenibusque prohiberi: proinde habeat rationem *posteritatis* et periculi sui.

Hic locus a coniectura haud necessaria defendendus est. Codices ad unum omnes inter se consentiunt. Kranero autem verba decurionum Attium Varum hortantium, ut habeat rationem *posteritatis* i. e. ut consulat famae apud posteros, hoc loco videntur perversa, quare cum Iurinio legi vult: proinde habeat rationem, *dum potestas sit, periculi sui.* Ego, quamquam nihil perversi video, tamen haec quoque dicere potuisse decuriones

facile concedo. Iam vero quum in codicibus nullum corruptelae indicium sit, neque dubitem, quin Caesar alia verborum collocatione scripturus fuerit: *proinde, dum potestas sit, habeat rationem* etc. codicum scripturam tuendam esse puto.

Lib. I, 44, 2.

Genus erat pugnae militum illorum, ut magno impetu primo procurrerent, audacter locum caperent, ordines suos non magnopere servarent, rari dispersique pugnarent; si premerentur, pedem referre et loco excedere non turpe existimarent cum Lusitanis reliquisque barbaris genere *quodam* pugnae assuefacti.

De hujus loci integritate multi dubitaverunt eumque varia ratione emendare conati sunt. Genus enim militum eorum quum accuratius descripserit Caesar, scribere eum potuisse negant, Afranianos cum Lusitanis reliquisque barbaris genere *quodam* pugnae assuefactos fuisse.

Itaque Morus pro *genere quodam pugnae* scribendum censuit *„genere eodem pugnae.“* Quod si dicere voluisset Caesar, haud dubie, ut ipsa hujus pronominis fert natura, scripturus erat: eodem pugnae genere.

Kranerus, cui verba *genere quodam* nequaquam ferenda videntur, locum nostrum sic emendat: *cum Lusitanis reliquisque barbaris barbaro genere quodam pugnae assuefacti.*

Hellerus, qui pravam eam esse verborum collocationem recte monet, neque opus esse ablativo *barbaris* existimat, locum emendare pergit: *cum Lusitanis reliquisque barbaro quodam genere assuefacti.*

Male eiecit ablativum *barbaris;* nam deleto eo, qui reliqui fuerint, non intelligitur.

Hanc utriusque emendationem non improbarem, si aliqua ex parte addicerent codices. Num vero liceat criticis contra codicum auctoritatem tam audacter mutare verba et inserere et eicere, valde dubium mihi videtur. Heldius vulgatam lectionem defendere studet et Caesarem pronomen indefinitum haud dubie eam ob rem addidisse putat, quod illud pugnae genus a Romanorum genere adeo abhorruerit, ut etiam praemissa illa descriptione de genere quodam, ut insolito, dicere posset. Ego re bene considerata facere non possum, quin ei assentiar, et Caesaris verba sic intelligenda esse existimo: milites Afraniani cum Lusitanis reliquisque barbaris assuefacti erant genere quodam pugnae i. e. genere insolito et barbaro, eo genere, quod illis pugnae generibus, quibus utuntur gentes disciplinae militaris et artis bellicae peritae, vere adnumerari nequeat et a Romanorum genere multum differat.

Lib. I, 44, 4.

Haec *tamen* ratio nostros perturbavit insuetos hujus generis pugnae.

Ex optimis codicibus unus habet *tam*, tres *tum*, Oudendorpius edidit *tamen*. Nipperdeius, Kranerus, Doberenzius aliique *tum* in textum receperunt, Heldius vulgatam scriptu-

ram retinuit, quae quamvis facile et commode explicari possit, tamen consensu trium illorum codicum improbatur. Ceterum Doberenzius recte monet, particulam *tum* sic collocatam inter pronomen et substantivum adjectivi loco positam esse; nos: *diese damalige, damals angewendete Art.*

Paulo infra verba leguntur: Ipsi autem suos ordines servare, neque ab signis discedere, neque sine gravi causa eum locum, quem ceperant, dimitti *censuerant* oportere.

Sic codices. Nipperdeius edidit: dimitti *consueverant* oportere, quod verbum errore typographico irrepsisse in ejus editionem putandum esset, nisi ipse in adnotationibus adscripsisset: *consueverant* ego, *censuerant* codd. Qua re permotus a codicum scriptura discesserit et illam coniecturam receperit, neque scio, neque magis, quam Forchhammerus et Hellerus et Hugius intelligo, quid sit: *locum dimitti oportere consuevi*, quae verba si codices haberent, corruptum locum coniectura sanandum esse ratus illud *censuerant* substituerem. Quod autem etiam magis mirum est, Kranerus Nipperdeium secutus hanc coniecturam recepit nulla verborum explicatione addita. Quum hoc loco, inquit, id genus pugnae, quo utebantur Romani, barbarae consuetudini opponatur, *censuisse* milites — dici nequeunt. Ego Caesaris verba sic intelligo: Caesaris milites quum pugnarent cum hostibus barbaro pugnandi genere utentibus, veriti, ne ab aperto latere procurrentibus singulis circumirentur, facile permoveri poterant, ut paululum a suo pugnandi genere desciscerent. Neque vero id fecerunt, sed a primo statim certamine in suo genere permanendum esse censuerant.

Lib. I, 48, 5.

Tempus erat autem difficillimum, quo neque frumenta in *hibernis* erant *neque multum a maturitate aberant.*

His verbis quid Caesar dicere voluerit, ut facile intelligitur, ita verba ipsa mira sibi videri Kranerus recte dicit. Nihilominus Caesar videtur ita scripsisse. Ille ad Ilerdam magna frumenti inopia premebatur; cum enim castra ejus inter duo flumina essent et aquarum vi ambo pontes interrupti, neque civitates, quae ad ejus amicitiam accesserant, frumentum supportare, neque maximi commeatus, qui ex Italia Galliaque veniebant, in castra pervenire poterant. Accedebat, ut tempus esset difficillimum, quo neque frumenta in hibernis erant etc. *Hiberna*, quod nomen est in omnibus codicibus, nisi quod Paris. sec. habet *hybernis*, sunt nostro loco horrea hiberna, in quibus frumenta in hiemem provisa conduntur. Licet enim illud nomen apud Caesarem nusquam hoc significet, in ipso tamen nomine nihil inest, quod huic significationi repugnet. Apitzius conicit auctorem exarasse: *quo neque frumenta in horreis erant*, quam coniecturam haud necessariam, quod sciam, nemo editorum in textum recepit.

Alterum membrum — neque multum a maturitate aberant — offensioni erat Kranero. Quisquis enim temporis difficultatem describere voluerit, non facile eum dicturum esse ait frumenta non multum abesse a maturitate, quum ipsa proximae messis spes inopiam levet. Itaque locum sic edidit: Quo neque frumenta in hibernis erant, *segetesque multum a maturitate aberant.* Sed ipse fatetur Caesarem non alio loco particulis neque — que sic usum esse, et nos addimus segetes tum — nam illud incommodum mense Maio accidit — non multum a maturitate abfuisse. Ejus autem rei Caesar mentionem fecit, non quo spe proximae messis inopia levaretur, sed quod deficiente superioris anni copia malum in dies augebatur.

Itaque Caesaris verba sic intelligenda sunt. Tempus erat difficillimum 1) quod frumenta non erant in hibernis; nam Afranius ante adventum Caesaris paene omne frumentum Ilerdam convexerat, et si quid reliqui fuerat, Caesar superioribus diebus consumserat; 2) quod frumenta in agris non multum a maturitate aberant i. e. quod illud incommodum accidit proximis ante messem mensibus, quo tempore frumenta consumta superioris anni copia in dies magis deficere solent. Idem tempus describit Caesar de b. g. 1, 16, 6. cum frumentum neque emi neque ex agris sumi posset.

Lib. I, 69, 1.

Ac primo Afraniani milites visendi causa laeti ex castris procurrebant contumeliosisque vocibus prosequebantur, *nec non* necessarii victus inopia coactos fugere atque ad Ilerdam reverti.

Optimi codices utriusque familiae, Par. sec., Leid. pr., Cuiacian., Haun. pr. habent: *nec necessarii victus inopia* etc., unde apparet hanc fuisse archetypi scripturam. Sed locum corruptum esse indiligentia librarii, qui primas tres litteras nominis adjectivi bis scripserit, quod mendum saepissime invenitur, pro certo habendum est. Deinde qui particulam *nec* retinuerunt, ut verba intelligi possent, facere non potuerunt, quin *non* inicerent haud recordantes Caesarem nunquam ita scripsisse, unde lectio vulgata exorta est. Recte igitur Nipperdeius et Kranerus verba *nec non* deleverunt et locus sic legendus est: *Ac primo — prosequebantur: necessarii victus inopia coactos fugere atque ad Ilerdam reverti.* Paulo infra pro vulgata scriptura *putarent* haud dubie legendum est *putaret*, quod praeter Leidens. pr. optimi quique codices exhibent.

Lib. I, 80, 3.

Qua re animum adversa Caesar *relictis legionibus* subsequitur, praesidio impedimentis paucas cohortis relinquit.

Locus, quamquam incorruptus et sanus, temere tamen sollicitatus et varie emendatus. Caesar quum animum advertisset hostes sese subito proripuisse hora circiter sexta eiusdem diei et spem nactos morae discessu equitum iter facere incipere, subsequitur *relictis legio-*

nibus i. e. cum legionibus, quae relictae in castris remanserunt, quum equites pabulandi causa dimitterentur. Praepositio *cum* non necessario erat addenda, ut vult Forchhammerus; nam omnia tam plana et perspicua sunt, ut dubitationi locus non detur, neque facile invenietur, qui locum ita interpretetur, quasi Caesar legiones in castris reliquerit, ipse nescio quibuscum copiis subsecutus sit. Deinde quod idem dicit Caesarem ita demum *cum relictis legionibus* dicturum fuisse, si non equites solum, sed legiones nonnullae dimissae essent, concedere nequeo. Nonne enim nobis quoque dicere licet: *Die Reiterei war fort; mit dem zurückgebliebenen Fufsvolk aber jagte er ihnen nach.* Quare ille cum aliis existimans locum esse corruptum hanc emendationem proponit: *refectis* legionibus, quae emendatio vix multis probabitur. Legionibus enim quatuor tantum milia passuum eo die progressis refectione opus non erat neque, si opus fuisset, illo tempore, quo omni ratione festinandum erat, a Caesare data esset. Quem non substitisse in castris ad reficiendos milites, sed festinanter profectum esse verbum *sub*sequitur satis docet. Hellerus legi vult: *reliquis legionibus* i. e. reliqua parte legionum, quae supererat detractis paucis cohortibus, quas Caesar praesidio impedimentis reliquit. Sed ita dicere Graecis quidem, non Latinis licere Nipperdeius arbitratur, cui a Caesare scriptum videtur, *expeditis legionibus*, quae coniectura quantum a codicum scriptura discedat, ipse intelligit. Kranerus locum ita emendat: *relictis impedimentis* subsequitur, praesidio paucas cohortes relinquit. Muretus: *ex iis munitionibus.* Faërnus: *eductis legionibus.* Oehlerus: *cunctis legionibus.* Mihi locus sanus omnesque emendandi conatus supervacanei et irriti videntur esse. Nam quod Nipperdeius dicit in illa orationis forma scriptoris verba aliter intelligi non posse, nisi ut Caesar legiones reliquisse, ipse subsecutus esse dicatur, verum esse nego, quum et antecedentia et sequentia verba tam ineptam interpretationem reiciant.

Lib. II, 4, 4.

Communi enim fit vitio naturae, ut *invisis, latitantibus atque incognitis* rebus magis confidamus vehementiusque exterreamur; ut tum accidit.

Haec edidit Oudendorpius, quae e recentioribus editoribus nemo, quod sciam, praeter Heldium retinuit. Sed verba interpolata esse satis apparet. Etenim certum interpolationis indicium est particula *atque* tertio loco posita, quam particulam non magis quam *et* vel *ac* tribus vel pluribus orationis membris aequaliter compositis neque Caesar neque ceteri hujus aetatis scriptores extremis membris interponunt, sed aut omnibus locis aut nullo. cf. Nipperd. quaest. Caesar. pag. 68. Madvig. opusc. acad. tom. I. pag. 333. sqq.

Accedit, quod *latitantibus* tantummodo in deterioribus codicibus et ne in iis quidem omnibus legitur. Tres optimi, qui tamen ipsi sunt interpolati, habent *latitatis*, quod nihil est. Ego cum aliis multis puto vocem illam scribentis lapsu e *latitantibus* ortam ex nota margini adscripta in textum irrepsisse et Caesarem ita scripsisse: *ut invisis atque incognitis rebus magis confidamus vehementiusque exterreamur.* *Latitantibus* autem videtur nescio quis margini adscripsisse ad superius illud vocabulum *invisis* explicandum, ut invisa ea dici, quae non visa essent, non odiosa, legentes admonerentur.

Elberlingius locum sic emendat: ut *invisitatis atque incognitis rebus* i. e. rebus, quas non saepe vidimus et propterea non cognovimus, qua emendatione Caesaris sententia mutari atque infringi mihi videtur. Non enim iis rebus, quas *non saepe* vidimus, sed quas *non* vidimus, magis confidimus vehementiusque exterremur, quod omnia et bona et mala vero majora fingere solemus neque ullos fines habet imaginandi vis. Quod commemorat proverbium vernaculum, quo iis rebus, quas non videmus, nos non affici dicimur, *(was ich nicht weifs, macht mich nicht heifs)* parum in nostrum locum convenit. Sciebant enim Massilienses Nasidii classem adventaturam, sed ipsam nondum viderant; quare communi illo naturae vitio accidit, ut nimiam de adjutrice classe spem animis conciperent. Ceterum vix opus erit commemorare priorem tantum illius sententiae partem ad hunc locum pertinere, Caesarem autem supra totam sententiam perscripsisse.

Lib. II, 17, 2.

Praeoccupatum sese (Varro dicebat) legatione ab Cn. Pompeio, teneri obstrictum fide; necessitudinem quidem sibi nihilo minorem cum Caesare intercedere, neque se ignorare, *quod esset officium legati, qui fiduciariam operam obtineret,* quae vires suae, quae voluntas erga Caesarem totius provinciae.

M. Varro, qui ulteriorem Hispaniam duabus legionibus obtinebat, (cf. I, 38, 1.) initio cognitis iis rebus, quae sunt in Italia gestae, diffidens Pompeianis rebus amicissime de Caesare loquebatur neque se in ullam partem movebat, sed exspectans rerum eventum se quoque ad motus fortunae movere cupiebat. Nostro loco enumerat causas, quarum aliae, ut sequeretur Pompeium, aliae, ut staret a Caesare, ipsum impellerent. Praeoccupatum esse legatione i. e. mandato legati munere ab Cn. Pompeio ideoque teneri obstrictum fide; sed nihilo minorem sibi cum Caesare intercedere necessitudinem neque se ignorare etc.

Kranerus de scripturae integritate dubitans verba quod esset officium legati, qui fiduciariam operam obtineret librarii errore alieno loco posita esse suspicatur. Legati enim officium esse omnia agere ad praescriptum cf. 3, 51, 4., munus mandatum velut possessionem fiduciariam sive depositariam religiose servare, simulatque ille, qui tradidit, poposcerit, sine recusatione reddere. Quod quum ita sit, Varro reputando, quod esset officium legati, qui etc. permoveri non poterat, ut sequeretur Caesarem, sed ut Pompeio potius summam fidem servaret. Quare verba ita transponenda esse censet: *praeoccupatum sese legatione ab Cn. Pompeio, teneri obstrictum fide, quod esset officium legati, qui fiduci-*

ariam operam obtineret; necessitudinem quidem sibi nihilo minorem cum Caesare intercedere, neque se ignorare, quae vires suae etc.

Sed valde dubito cum Hugio, num recte dici possit, legati officium esse teneri obstrictum fide, neque, si verba recte intelligantur, transpositione opus esse puto. Ex duobus enim legati officiis, ut rem commissam religiose servet neve ei, qui commisit, simulac poposcerit, reddere recuset, hoc solum ad locum nostrum pertinet, non illud, neque ignorat Curio se fiduciariam operam obtinere, de qua decedere Pompeius primo quoque tempore, simulac confidere desierit, ipsum jubere possit.

Hugius haec quoque verba ut a librario quodam addita eicienda esse statuit.

Lib. III, 13, 1.

At Pompeius cognitis iis rebus, quae erant Orici atque Apolloniae gestae, Dyrrhachio timens diurnis eo nocturnisque itineribus contendit. Simul ac Caesar adpropinquare dicebatur, tantus terror incidit ejus exercitui, quod properans noctem diei conjunxerat neque iter intermiserat, ut paene omnes in Epiro finitimisque regionibus signa relinquerent etc.

Sic Oudendorpius. Haec autem verba et codicum optimorum auctoritate et coniectura sic emendanda sunt: At Pompejus cognitis *his* rebus, quae erant Orici atque Apolloniae gestae, (Nipperdeius codd. Paris. sec. et Leid. pr. secutus in ipso mendo edidit: *gesta*) Dyrrhachio timens diurnis eo nocturnisque itineribus contendit. Simul *et* Caesar appropinquare dicebatur, *tantusque* terror incidit ejus *exercitus*, quod — intermiserat, ut paene omnes *ex* Epiro finitimisque regionibus signa relinquerent.

Et = etiam. Non solum Pompejus contendit Dyrrhachium, sed etiam Caesar properans (cf. infra 5) eo exercitum duxit. *Exercitus* est in tribus optimis codd., nisi quod Haun. pr. pro *ejus* exercitus exhibet *ei* exercitus; haud dubie vera lectio cf. II, 29. *atque in castris Curionis magnus omnium incessit timor. Ex* Epiro pro *in* Epiro Iurinii emendatio est valde probabilis.

Verbis sic emendatis omnia conveniunt, neque intelligitur, quid sit, quod Heldius de integritate loci, quem ipse optime explicuit, dubitare videatur. Bene hanc dubitationem tollere conatus est Nipperdeius quaest. Caesar. pag. 164 sq.

Lib. III, 17, 1.

Quibus rebus neque tum respondendum Caesar existimavit, neque nunc, ut memoriae prodantur, satis causae putamus.

Haec Caesaris verba videntur Hugio absurda (Philol. XI, 696) et ut alia multa, ita haec ut interpolata delenda esse censet. Quisquis mentis suae compos neque abreptus nimia investigandi interpolationes cupiditate locum nostrum inspexerit, nihil sane absurdi Caesaris in verbis, multum irrisionis in Hugii emendationibus inesse videbit.

Libo et Bibulus quum summis essent in angustiis, ut inducias impetrarent, velle se de maximis rebus cum Caesare loqui profitentur. Cujus rei facultate data prodit Libo cum alia tum haec dictitans: *Pompei* summam esse (Elberlingius et Kranerus coniciunt: *suam* summam esse, quod probabile videtur) ac fuisse semper voluntatem, ut *componerentur* (sic codd.; scil. Pompeius et Caesar) atque ab armis discederetur, sed potestatem ejus rei (*se* deest in tribus opt. codd.) nullam habere, propterea quod de *consilii* (sic Par. sec. et Haun. pr., alii *concilii)* sententia (i. e. de sententia senatus vel potius consulum et ejus partis senatorum, quae erat cum Pompeio) summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint etc. Huc addit pauca de causa et de copiis auxiliisque suis.

Quae verba supra scripsimus, ea ad extremam tantummodo orationis partem pertinere nemo non intelligit. Ad ea, quae Libo dixit de causa et de copiis auxiliisque suis neque tum respondendum Caesar existimavit, neque nunc, ut memoriae prodantur, satis causae putat. Quamquam pauca, tamen ea fuisse videntur, quae Caesaris animum offenderent. Ad priorem orationis partem respondisse Caesarem satis docent verba: Postulabat Caesar — impedimenti loco.

Lib. III, 18, 5.

Bello perfecto ab iis Caesar haec *dicta* cognovit, qui sermoni interfuerunt. Conatus tamen nihilo minus est *aliis rationibus per colloquia* de pace agere.

Codex Par. sec., Haun. pr., Vrs., deteriores quinque habent *facta* pro *dicta*, quam lectionem haud dubie veram paene omnes recentiores edit. receperunt. Non enim verba sola Pompei, sed omne colloquium et, quidquid ea in re acciderat, Caesar confecto bello cognovit. Facile autem fieri potuit, ut vocabulum *facta* in *dicta* mutarentur propter antecedentia Pompei verba: Quid mihi etc. et sequentia verba: qui sermoni interfuerunt. Verba: *Conatus — agere* ut inepta et interpolata Hugius delenda esse censet. Scriptor enim dicere non potuit: Caesar quamquam bello perfecto ab iis haec facta cognovit, qui sermoni interfuerunt, tamen nihilo minus conatus est aliis rationibus per colloquia de pace agere. Haec sane nec potuit scribere, nec scripsit, sed dixit: Quamquam per Vibullium de pace missum apud Pompeium nihil esset profectum, id quod cum omnis narratio, tum verba Pompei satis docent, tamen Caesar nihilo minus conatus est aliis rationibus per colloquia de pace agere.

In verbis *aliis rationibus per colloquia*, si recte intelligas, nihil est, quod jure reprehendas. Caesar re frustra tentata nihil deterritus conatur de pace agere, ut antea, per colloquia, sed aliis rationibus, ut bene interpretatur Kranerus, colloquiis aliter institutis,

non missis ad Pompeium ipsum legatis, sed ejus milites appellans et, ut suum quisque ad conciliandam pacem conferant, adhortans.

Lib. III, 19, 2.

Mittit P. Vatinium legatum ad ripam ipsam fluminis, qui ea, quae maxime ad pacem pertinere viderentur, ageret et crebro magna voce pronuntiaret, liceretne civibus ad cives de pace *duos* legatos mittere, quod etiam fugitivis ab saltu Pyrenaeo praedonibusque licuisset: praesertim, ut id agerent, ne cives cum civibus armis decertarent?

Numerale, duos (Paris. sec. duo), quod in omnibus codd. et vet. editt. legitur, hoc loco ferri non posse omnes consentiunt, sed unde librariorum errore ortum, quid pro eo scribendum, difficile est dictu. Nipperdeius *duo* uncis circumscripsit, Heldius, Doberenzius, Oehlerus omiserunt, Kranerus pro *de pace duos* scripsit *sive periculo*. Ego omnium, quae ad loci scripturam emendandam proposita sunt, maxime probo conjecturam M. Bruti, Gruteri aliorumque, qui legi jubent: *suos legatos*, quae lectio a nostro loco haud aliena videtur.

Caesar enim aliis rationibus atque antea per colloquia de pace agere conatur. Miserat legatos ad Pompeium neque quidquam effecerat. Nunc non ab ipsis, sed per milites de pace agi vult mittitque Vatinium, qui — pronuntiaret, liceretne civibus ad cives de pace suos i. e. e suorum numero, non a Caesare vel Pompeio delectos legatos mittere. Haec explicatio iis, quae sequuntur, commendatur; non enim legatus a Pompeio mittitur, sed A. Varro sua sponte profitetur se altera die ad colloquium venturum et magna utrimque multitudo convenit.

Pro *praesertim ut id agerent* optimi codices habent *praesertim cum id agerent*, quae archetypi scriptura restituenda est.

Heldio hic locus videtur praeter illa, quae commemoravimus, aliis quoque vitiis laborare. Quae enim scripta sunt: liceretne — decertarent, tanta verborum abundantia unum idemque enuntiant, ut Caesar verbis *liceretne civibus ad cives de pace legatos mittere* alteram partem *praesertim cum id agerent, ne cives cum civibus armis decertarent*, ut novam et majorem rei causam, addere nequierit.

Quamquam concedo Caesarem verbose et copiose scripsisse, tamen negari non potest altera enunciationis parte *ne armis decertarent*, in quam haud dubie omnis orationis vis incumbit, sententiam acui et augeri. Eo magis licere debet de pace legatos mittere, quum id agant, ne cives cum civibus ad internecionem pugnent, id quod fore et omnes praesentiunt et Labienus palam pronunciat.

Lib. III, 25, 3.

Duriusque cotidie tempus ad transportandum *lenioribus ventis* exspectabant.

Nipperdeius ad hunc locum, quem omnibus in codd. et editt. sic scriptum videmus, haec dicit: Sententiam requiri apertum est hujus modi: tempus cotidie durius spem lenioribus ventis tramittendi ademisse. Itaque sic scripsi: *duriusque cotidie tempus ad transportandum lenioribus ventis non spectabat.* Qua emendatione veram Caesaris sententiam reddi profitetur Kochius (Mus. phil. XI. p. 638) neque quidquam postulat, nisi ut pro *non spectabat* legatur *vix spectabat*, ne coniectura a codicum verbis nimis longe discedat. Ego coniecturam haud necessariam esse et Caesarem longe aliud dicere voluisse puto. Kranerus huic Nipperdeii emendationi, quum verba contorta ei videantur, non assentitur, quamquam eandem, quam ille, requirit loci sententiam. Ipse scribit: *duriusque cotidie tempus ad transportandum pejoribus ventis exspectabatur*, quae emendatio et a codicum scriptura longius discedit et a falsa ventorum opinione profecta est.

Hellerus utriusque emendationem et interpretationem improbans locum sic explicat: *duriusque cotidie tempus, ad transportandum lenioribus ventis, exspectabant*, i. e. Pompeiani exspectabant durius cotidie tempus sibi (Pompeianis) venturum esse, quum venti ad tramittendas ex Italia copias aptiores fierent, venti adversi et asperi in leniores transirent. Quare fieri non poterat, quin Pompeiani in dies diligentiores et alacriores fierent.

Recte monet Hellerus, cum hiems praecipitavisset, non vehementiores, ut volunt Nipperdeius et Kranerus, sed leniores ventos (*austrum* et *Africum* cf. III, 26) consecutos, neque durum tempus ad tempestates, quas dicunt aequinoctiales, referendum esse. Durius autem tempus dicitur nec hibernum tempestatibusque infestum (Nipperd.) nec id tempus, quo Pompeianis summo labore summaque diligentia esset utendum (Hellerus), sed illud tempus, quo propter leniores ventos Caesarianis trajectio difficilior et periculosior esset. Non enim tempestates timebat Caesar, sed hostium diligentiam, quorum classibus a Salonis ad Orici portum stationes litoraque omnia longe lateque occupata erant. Quo autem leniores erant venti et mare tranquillius, eo minus naves ejus fallere poterant hostium custodias. Itaque locus noster sic interpretandus est: *Pompeiani exspectabant durius quotidie tempus ad transportandum fore Caesarianis propter leniores ventos*, unde factum est, ut majorem fiduciam prohibendi haberent.

Hanc Heldii interpretationem quamquam a multis improbatam facere non possum quin et ipse unice veram esse existimem.

Lib. III, 26, 3.

Illi — altero die Apolloniam *Dyrrhachiumque* praetervehuntur. Qui quum essent ex continenti visi, Coponius, qui Dyrrhachii classi Rhodiae praeerat, naves ex portu educit, et quum jam *nostris* remissiore vento appropinquassent, idem auster increbuit nostrisque praesidio fuit. Neque vero ille ob eam causam conatu desistebat, sed labore et perseverantia nautarum *se* vim tempestatis *superare* posse sperabat etc.

Sic edidit Heldius. *Dyrrhachium* quod est in optimis codd., Elberlingius delendum censet, cui suffragatur Nipperdeius, cum neque asyndeton ferri (nam codd. habent *Apolloniam Dyrrhachium*) neque hic jam Dyrrhachium praetervehi Caesariani dici possint, quos postea demum praetervectos esse declaretur. Ego vulg. lect. *Dyrrhachiumque* obtinendam esse puto. Pro *nostris* habent optimi codd. *nostri*, quod restituendum est. *Appropinquassent* est in omnibus codd., nisi quod Paris. sec. habet *adpropinquassent*, pro quo Nipperdeius edidit *adpropinquasset*, quod opinatur Caesarianos non recte dici Coponio appropinquasse.

Pro *se vim tempestatis superare* secundum opt. codd. auctoritatem legendum est: *et vim tempestatis superari.*

Sic autem Caesaris verba intelligenda mihi videntur: Caesariani nacti austrum Brundisii naves solvunt atque altero die Apolloniam Dyrrhachiumque praetervehuntur. Sed visi erant ex continenti. Itaque Coponius, qui Dyrrhachii classi Rhodiae praeerat, priusquam illi urbem praetervecti essent, naves ex portu eduxit, ut itinere interclusi ante urbem proelio decertare cogerentur. Quum jam remissiore vento appropinquassent, idem auster increbuit, qui quum et impetum impediret et Caesarianos celeriter septemtrionem versus ferret, iis praesidio erat. Nam praeverterunt eum, priusquam ad eos perveniret, et durante eodem vento post se reliquerunt. Coponius antem ob eam causam conatu non desistebat, sed labore et perseverantia nautarum etiam vim tempestatis superari posse sperabat, hoc est, ut Nipperd. bene explicat, remigando se celerius iturum, quam Antoniani venti magnitudine ferebantur.

Lib. III, 35, 1.

Ex his Calvisius primo adventu summa omnium Aetolorum receptus voluntate *praesidiis* adversariarum Calydone et Naupacto relictis omni Aetolia potitus est.

Sic in codd., nisi quod Paris. sec. exhibet *Calidone.* Pro *relictis* Oudendorpius edidit *rejectis,* alii *dejectis.* Bene emendavit locum Nipperdeius addita praepositione a: a praesidiis adversariorum Calydone et Naupacto relictis, hoc est, quum Calydon et

Naupactus a praesidiis adversariorum relictae essent, quae verba perperam intellexit Forchhammerus (quaest. crit. pag. 6) qui opinatur Nipperdeium verba sic conjungi velle: Calvisius receptus a praesidiis adversariorum, quae Calydone et Naupacto relicta erant. Durior sane verborum collocatio foedumque vitium!

Lib. III, 44, 4.

Atque ut nostri, *qui* perpetuas munitiones *habebant,* perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani et nostros post tergum adorirentur, *timebant:* ita illi interiore spatio perpetuas munitiones efficiebant, ne *quo loco* nostri intrare atque ipsos a tergo circumvenire possent.

Sic edidit Oudendorpius parum secutus auctoritatem optim. codd., qui pron. rel. *qui* omittunt et pro *ne quo loco nostri intrare* exhibent *ne quem locum nostri intrare* etc. *Habebant* in solo Hotomanni codice est, in ceteris *videbant*, et pro *et nostros* secundum codd. legendum est *ac nostros.* Verbum *timebant* delendum esse jam Faërnus recte judicavit, quod neque habet, quo referatur, et cur adjectum sit, causa in promptu est.

Nipperdeius edidit: Atque ut nostri perpetuas munitiones † videbant perductas ex castellis in proxima castella etc. et in quaestionibus suis hoc loco monet: *In hoc inepto verbo (videbant) emendando proxime ad codicum vestigia accessit idem Faërnus jungebant coniciens: certa emendatio nondum reperta est.* Muenscherus in ephem. scholast. a 1828 p. 562 haec ita conformavit: *atque ut nostris perpetuas munitiones videbant perductas — ita illi — efficiebant.* Sed, ne quid de duritie compositionis dicam, Caesaris munitiones nequaquam erant perfectae. Contendebant enim Caesariani etiamtum munitionibus cum Pompeianis, illi, ut Pompeium quam angustissime concluderent, hi ut Caesarianos quam maxime extenderent, id quod superioribus et inferioribus verbis declaratur. Itaque *a nostris perduci videbant* scribendum erat. Sed ne ita quidem Muenscheri emendatio probari potest. Videntes enim esse non possunt Pompeiani, sed Caesariani propter insequentia verba: ita illi scil. Pompeiani, quae verba satis docent in priore enunciationis parte Caesarianos pro subiecto esse habendos.

Kranerus edidit: *Atque ut nostri perpetuas munitiones habebant, perductas ex castellis in proxima castella* et in adnotationibus suis lectionem vulgatam *videbant* improbat neque minus Muenscheri coniecturam refellit. Ipse recepit scripturam *habebant* uno quidem codice commendatam, sed monet, ne *habebant* conjungas cum participio perductas, ut ea verborum sententia sit: perpetuas munitiones habebant, perductas = quae erant perductae ex castellis in proxima castella. Sed quum munitiones nequaquam essent perfectae, ne loca quidem occupata, per quae ducerentur, ut recte monuit Nipperdeius, Caesar suos perpetuas habuisse munitiones, perductas etc. minime dicere potuit.

Kochius profitetur, (Mus. phil 1857. p. 639) nemini unquam contigisse, ut pro verbo *videbant* aptam emendationem proponeret. Quoniam verbum *timebant* aperta interpolatione in textum, qui dicitur, irrepserit, verba quoque *perductas ex castellis in proxima castella* pro interpolatis habenda et delenda censet ac legi jubet: *atque ut nostri perpetua munitione providebant, ne quo loco erumperent Pompeiani*, quam emendationem commemoravisse sufficiet.

Mihi legendum videtur pro *videbant*, quod praeter unum deteriorem omnes habent codices, *volebant*, quam coniecturam et facilem et aptam, quantum scio, a nullo unquam propositam, si in textum receperis, omnia recte se habebunt. Verbum velle cum participio coniunctum apud Caesarem saepius legitur cf. I, 8, 3. velle Pompeium se Caesari purgatum, et alibi.

Itaque omnibus vitiis emendatis locus noster, quem supra scripsimus, ita legendus erit:

Atque ut nostri perpetuas munitiones volebant perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani ac nostros post tergum adorirentur: ita illi interiore spatio perpetuas munitiones efficiebant, ne quem locum nostri intrare atque ipsos a tergo circumvenire possent.

Paulo infra haec leguntur: Quae qnum erant loca Caesari capienda etc. quae verba Heldio et Kranero corrupta videntur, quod nihil antecesserit, quo *quae loca* referantur. At enim Caesar prodidit Pompeium plurimos colles occupasse, castella quatuor et viginti effecisse idemque ipsum longiore spatio fecisse, ut, quae loca intelligenda sint, satis appareat i. e. loca castellis idonea. Heldius commendat conjecturam Bentleii: *quaecunque erant loca Caesari capienda*, Kranerus edidit: *quare cum erant loca Caesari capienda.*

Lib. III, 48, 1.

Est etiam genus radicis inventum ab iis, qui *fuerant valeribus*, quod appellatur chara, quod admixtum lacte multum inopiam levabat.

Pro *iis* exhibet codex Haun. pr. *his* et pro *admixtum* habet *mixtum*, quod probabile videtur, quum Caesar ad verbum admiscere vix ablativum apposuerit, quae constructio rarissima est, quare alii scripserunt *lacti*. Perperam; non enim chara admiscebatur lacti, sed lac charae. Quid vero sit *valeribus* nemo dicere potest. Est autem in omnibus codicibus praeter unum deteriorem, qui habet *cum Valerio*, quod in multas editiones transiit. Sed hanc scripturam probari non posse nemo non intelligit. Alii in codicum scriptura nomen oppidi latere arbitrabantur, sed neque est in illis regionibus urbs similis nominis neque, ut Nipperdeius recte monet, in oppido radices inventas esse credibile est; et eos milites hanc radicem reperisse apparet, qui Pompeium munitionibus obsidebant.

Nipperdeio scribendum videtur *qui fuerant in vallibus*, quod valles in his locis commemorantur neque improbabile est, eam hujus radicis fuisse naturam, ut maxime locis demissis nasceretur, quam conjecturam Kranerus in textum recepit.

Sed ut alia omittam, hoc si dicere Caesar voluisset, scribendum ei erat *qui erant in vallibus*; nam non postquam fuerunt, sed dum erant in vallibus, milites radices invenire poterant.

Terpstra, cujus libellum non ipse vidi, teste Kranero scripsit *qui fuerant cum pabulatoribus*, quae conjectura et longius a codicum scriptura recedit et eodem tempore parum apto utitur.

Hellerus scripturam *valeribus* librariorum errore natam esse e vocabulo quodam, cujus primae syllabae sint vale, et e vulneribus omissa priore nominis parte et fuisse in archetypo arbitratur: *qui fuerant valetudinarii ex vulneribus.* Hi autem erant milites, qui vulnerati in proeliis in valetudinario fuerant, quibus quum nondum satis virium esset, ut militum munia obirent, venia dabatur inambulandi, ut vires eorum reficerentur.

Hac de conjectura quid sentiant alii, nescio; mihi multo altius videtur repetita. Longe aliud mihi in mentem venit, quod, si non verum, tamen ab hoc loco haud alienum est et codicum vestigia diligenter sequitur.

Caesar consumtis omnibus longe lateque frumentis summis erat in angustiis. Sed tamen haec singulari patientia milites ferebant. Non ordeum, non legumina recusabant; pecus vero, cujus rei summa erat ex Epiro copia, magno in honore habebant. Prius se cortice ex arboribus victuros, quam Pompeium e manibus dimissuros dicebant. Charam, radicem inventam, ad similitudinem panis efficiebant. Tanta in frumenti inopia nonne credibile est milites omnia cibaria quaesivisse, quibus cum carne et praeter carnem vescerentur. Itaque pro *qui fuerant valeribus* hanc emendationem proponam: *Est etiam genus radicis inventum ab iis, qui studebant oleribus.* Milites exibant quaesituri olera et invenerunt radicem illam, quam hodie dicunt vel cramben Tartaricam vel carum carvi secundum Linneum. Studere oleribus autem non minus recte dici poterit, quam studere pecuniae, praedae etc. —

Lib. III, 53, 6.

Quem (Scaevam centurionem) Caesar, ut erat de se meritus et de republica, donatum milibus ducentis *aeris* ab octavis ordinibus ad primipilum se *transducere* pronunciavit: ejus enim *opera* castellum magna ex parte conservatum esse constabat; cohortemque postea duplici stipendio *frumentove et speciariis* militaribusque donis amplissime donavit.

Sic Oudendorpius edidit; sed locum corruptum esse ipsa scripturae varietas ostendit. Pro *aeris* optim. codd. auctoritate legendum est *atque*, quod quum, si cetera sunt sana,

ferri nequeat, verba varie mutata sunt. Legunt enim alii donatum milibus ducentis *aeris*, alii *donavit* milibus ducentis atque etc. Sed vocabulum *aeris* nec scripsisse Caesarem nec probari hoc loco posse certum est; nam, ut Elberlingius recte monet, Caesaris aetate omnis pecuniarum ratio ad sestertios, non ad aes inibatur. Supplendum igitur *sestertium*. Ceterum verbum excidisse et haec fere legenda puto: quem donatum milibus ducentis atque *collaudatum* ab octavis ordinibus etc. sive quem donatum — *collaudavit* atque — pronuntiavit.

Pro *transducere* plurimi codd. exhibent *traducere* et pro *opera* omnes fere codd. *ope*, praeter Leid. pr., qui scribit *opere*.

Ad emendanda extrema illa verba *frumentove et speciariis militaribusque donis* varia proposita sunt et apta et inepta. Quae ut omittam, mihi haec scribenda videntur: duplici stipendio, frumento, *veste*, *cibariis* militaribusque donis amplissime donavit, quae ita intelligo, ut milites duplici stipendio et frumento in perpetuum, veste, cibariis militaribusque donis in praesentia donarentur. Quod enim Elberlingius de hoc loco disputavit, nihil inde efficitur, nisi vestes non eodem modo praemiorum loco militibus dari solitas fuisse, quo hastas, vexilla aliaque militaria dona. Sed datas esse extraordinarie ex ipsius verbis locisque laudatis intelligitur. Nostro autem loco quid veste magis opus fuit militibus? Nemo enim omnium fuit, quin vulneraretur, milja sagittarum circiter triginta in castellum conjecta, in Scaevae centurionis scuto CXX foramina inventa sunt. Nonne credibile est et vestes militum laceratas fuisse et cruore inquinatas? Quid ergo utilius, quid aptius Caesar illius cohortis militibus dare potuit? Neque omittendum syllabas *vespe* quamquam in aliis aliter disjunctas in omnibus codd. exstare; quare non dubitandum videtur, quin Caesar inter cetera praemia vestes quoque dederit. —
